



CARMINA LUGUBRIA

In obitum immaturum

HONESTISSIMÆ, ET PUDI-
cissimæ fœminæ,

ANNÆ GERHOL-
DINÆ,

AMPLISSIMI, CLARISSIMI, DOCTISSI-
mi Prudentissimiq; Viri,

DN. JOHANNIS CRA-
MERI, J. U. D. & P. L.

Reipub. Servestanæ Consulis
dignissimi,

Uxoris p. m. suavissimæ. VII. Aug. b. 12.
pom: Anno 1637.

Placidè in CHRISTO defunctæ,
ab Amicis

Pro more Scripta.

SERVESTÆ,

Typis ANDREÆ BEZELII.

A N N O:

Da paCeM nostris graViter tot flnlbVs annos
VeXatls, Iras pone IchoVa pater.

I.

ANNA

Valedicit SUIS.

JAm sequor. In cœlo nostri revidere juvabit,
Præmissa à nobis, pignora blanda tori,
Tu cum filiola restante Marite valetō:
Cumq̄; domo nostrâ chare valetō parens!
Tempus erit, quo nos omnes jungemur in ævū:
Interea in terris vos beet ipse DEUS!

Christianus Becmanus, P. L.

II.

Ἐπιθυμία

Ad Dominum Viduum:

MEntis opus lætæ, *carmen*, me poscis, amice q̄
Lugubribus me cogitationibus
Distantum fas est hilares assumere vultus?
Qui me dolor, qui te coquit, regi abnuit!
Singultus numeris vinc̄tos me poscis, opinor,
Tuiq̄; me doloris in partem vocas:
Infandumq̄; jubes *vidui* renovare dolorem,
Tui meiq̄; quem tulit tristissimus
Occasus *solis*, fœcundæ funera *vitæ*,
Tuæ meaq̄; *conjugis* suavissimæ,
Quid desiderio facias? Posuisse mement
Suspirijs modum cor exedentibus,
Imperio cessit *conjugis* dilecta vocantis,
Cessura, nî cessisset, impigrè, DEI.

Tuta

Tuta tenet portum, venti ludibria ridet,
Et n̄ teneret, appetitura ocius.
Læta tenet *Solyma* cœlestia limina sanctæ
Desiderata voce pridem supplice.
Facta DEO propior *mortalia* despicit, olim
Contemta vanitatibus tor obsita,
Una ergò ambobus reliqua est modò causa doloris,
Non *conjugum*, sed nostra sors superstitum.

M. VVendelinus.

III.

Illa Ego, cui blanda nomen fecere Parentes
Anne, Cunrado de genitore sata:
Quæ fueram nuper conjux dilecta Marito
Doctrinâ claro Consiliisq; viro,
Johanni fueram Conjux quæ fida Cramero,
Quæ summo fueram fida ministra DEO;
Tot pertesa operum tandem pertesa laborum
Sevâ inter Mundi vimq; metumq; mali,
Corporis huc posui exuvias mortalis, ad ipsum
Parte mei scandens nobiliore DEUM.
Hic ubi cum Christo cum cœlitibusq; perennis
Consors letitiæ vi sine sospes ago.
Expers curarum belliq; ignara necisq;
Adventum expecto, maxime Christe, tuum.

M. Petrus von Zena / Reipub.
Sereftanæ Consul.

L 2

IV.

IV.

HEic Crameri cheu carissima Consulis Uxor,
Et decus & requies ANNA sepulta jacet.
Quæ fata non humili geminorum stirpe pa-
Equavit morum nobilitate genus, (rentū
Cara Deo, dilecta Viro, pia, casta, pudica,
Vestitu & victu sobria quæq; fuit.
Nunc æterna capit cælestis gaudia vitæ,
Atq; agit æternos absq; labore dies.

M. Isaacus Gregorij, Reipubl.
Serrvestane Consul.

V.

Nulla salus terris, hinc nulla vocatio nobis
In mundo ex omni parte beata datur;
Quo labor assiduus, dolor immitisq; cubile
Livor & indignus quo posuere suum.
Una salus cælis, hinc una vocatio felix,
Que datur ad patriæ cælica regna domus;
Quâ sine fine quies, & quâ sine fine voluptas
Durat, & optato flore perennat amor.
Ergo quid uxorem defletum longius ibis,
Splendida Juridici stella, Cramere, chori?
In paradisiacis hortis huic tuta repostæ est,
Indulgente DEO, tempus in omne quies.

M. Felix Haustedius.

VI.

VI.

TRistia quos macerant sequioris toxica sortis,
 Jugis supernæ fons medetur gratiæ.
 Qualis ubi cervus tremulis à diptados jctu
 Inesse virus sentit urens artubus:
 Ad gelidos properans latices per inhospita cursu
 Furente tesqua, mox medelam apiscitur.
 Nuper idem est experta tui fidissima consors
 Tori, perite Juris arbiter sacri,
 Tabificam simul ac lassis insidere noxam
 Præcordiis jam mente sensit provida:
 Protinus ad cælos animo perfugit anhelò,
 In Abrahæ captans sinu sedem entheo.
 Exoptatam illic lætatur nacta medelam;
 Terrore nos linquens perenni squalidos.
 Quos fera colluvies insueti pectora flecti
 Gradiivi (an Uragi?) fatigat perpetim.
 Nec mirum: sed enim rabidorum sæva propago est,
 Olim inelytum nostræ salutis qui Ducem!

Nathan Vogt. D. Senior.

VII.

Defuncta loquitur.

SAt vixi terris; Gnatae satis, atq; Marito:
 Quam vixi, nimis ah vita onerosa fuit!
 Nunc vivo vitam, Christi quæ parta cruore est;
 Quæ datur in cælis perpete pace frui.
 Siste igitur gemitus, veniet lux ista, Marite,
 Quæ mihi redderis, quæ tibi reddar ego.
 En Ego, Vir, Nati, mihi quos bone Christe dedisti,
 Tunc dicam! æternâ nos requiete bea.

M. Johannes Cramerus, Ecclesiastes
 ad D. Nicolai.

Quid sibi tot gemitus? quid tot suspiria cordis
 Anxia, quæ repetis nocte dieq; , volunt?
 Fallor? an uxorem, Affinis clarissime, defles,
 Quam tulit ante diem pestis, avara lues.
 Fallor? an & prolem defles, quæ lumina mundi
 Cernens, mox iterum lumina clausit? Ita est,
 Eheu, non fallor: proles præcedit, & ipsam
 Prolem mox sequitur mater & ipsa novam,
 Hinc oblata tibi est justissima causa dolendi.
 Nam periit pignus, nata tenella, tori.
 Hinc oblata tibi est justissima causa gemendi.
 Nam periit coniunx, pars adamata tori.
 Sed quid eas periisse puto? haut periêre, sed ambo
 Vivunt, si mentem cernis, in arce Poli:
 Terrea pars terram tenet, at pars cælica cælum,
 Et fruitur vultu colloquioq; Dei.
 Siste igitur gemitus, cordis suspiria siste,
 Nec lachrymis mæstas perge rigare genas;
 Uxorem ac prolem, spes hæc te firmet, utramq;
 Rursus ubi videas, tempus & hora venit.

*Condolentia testanda ergo
 scribeb.*

Zacharias Vechnerus, Servestæ
 ad D. Nicolai Diaconus.

IX.

VIta quid est hominis! transit, veluti umbra vagatur,
 Ut flos & fumus, corpore transit homo:
 Gaudia sancta Poli tum, qui bene transit, habebit,
 Hujus & in coeli culmine surget honos;
 Huic Deus omnipotens tribuet coelestia dona,
 In summâ patriâ perpetuanda Poli:
 Audiet & semper consolatoria verba,
 Atq; erit in Christo plamite palma virens.
 Quas igitur lacrymas effundunt Consulis ædes
 Docti CRAMERI? cur domus ipsa cadit?
 O dolor! o terror! quanta inclementia mortis!
 Quæ non respectum conditionis habet;
 Filia GERHOLDI pia, dilectissima conjux
 Consulis, extremum claudit in orbe diem.
 Heu lacrymosa dies! moritur quæ dicitur ANNA,
 Matronale decus, gloria summa tori:
 Quam comitabantur semper candor, pia vita,
 Sanctâ quæ coluit cum pietate Deum:
 Vera Dei Vox est, qui me coluere colentur,
 Hicq; Dei cultus, præmia magna feret:
 Hoc observavit: Christum cognovit, amavit,
 In Christi Domini nunc jacet illa sinu:
 Sancta salutiferi auscultavit dogmata verbi,
 Nunc habitat summi templa beata Poli:
 Jam mala nulla timet, nunc nulla pericla veretur,
 Hanc tulit ad superas hora beata domos,
 Christe Dei Fili, nobis succurre potenter,
 Christe veni, nobis annue, Christe veni.

*Johannes Buchius Sigenâ Nassovius
 Servestæ ad D. Nicolai Diaconus.*

X.

Qualis, cum demessa seges iam turgida aristis,
 Hordea in horreolum ferre colonus amat:
 Aut, cum matura gratâ dulcedine livent,
 Vinitor uvarum vincla tenella putat.
 Haud secus humani generis Cultorq; Satorq;
 Quos velit, & quando, pro ratione metit.
 Talis, ubi grassata lues epidemia, messis
 Exemplum patriâ cernere in urbe fuit,
 Non pauci, inq; ipsâ pueri succidier herbâ;
 In culmo iuvenes; deniq; messe senes.
 Atq; tua hos inter, *Consul clarissime*, conjux
 Florida maturâ falce resecta cadit.
 Quæ cadit? *Anna* cadit, blandum cui gratia nomen,
 Quam Capiti gratam fecerat unus amor,
Anna cadit, rarâ cui cum pietate fideque,
 Maturum attulerat vita probata decus,
Anna cadit, cui summa domûs custodia cura,
 A q; viro sanctâ parta tenere fide,
Anna cadit, cujus vivit post funera virtus,
 Nec facile immemorem te sinet esse sui.
 Cordolium! Haud damnum. Quis enim vel frugibus ipsis,
 Vel messem agricolis dicat obesse suam?
 Hoc æquâ reputes, *vidue ô maestissime*, mente:
 Mæstitiam imminuet res meditata tibi;
 Quàm te usu simul, & divino jure peritum,
 Messoriq; Deo morigerum esse docet.

M. Ernestus Wulstorpius, Serv. A.
 Scholæ Patriæ R.

F I N I S.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

GUBRIA

turum

, ET PUDI-

RHOL-

IMI, DOCTISSI-

Viri,

IS CRA-

P.L.

e Consulis

II. Aug. b. 12.

37.

defunctæ,

pta.

E,

BEZELII.

ot flnlbVs annos

oVa pater.

118